

1583 concordiae rationem aliquam iniri posse sibi suasse : modo neque suae dignitatis esse , ut res amplius extrabatur , neque id Aquilejensis ecclesiae jura permittere ; quae cum violata ac turbata essent , Dei Optimi Maximi oraculo significare , Senatūque monere , ut majorum suorum instituta atque exempla imitatus , e suo potius aliquid erogare , quam ne minimum quidem de Aquilejensis ecclesiae jure sibi vendicare velit : id si faciat , Divinum numen suis cogitatis & votis propitium sensurum ; sin vero ea in causa aliquid adducere pro jure suo velit , quamprimum efficeret ; nam eo , quem statuere sibi visum esset , termino elapso , ex lege ac jure , sententiam laturum . Literis perlectis , Senatus iussu Jacobus Menochius , canonici , Guido Pancirollus , civilis juris scientissimi , in Patavino Gymnasio publice profitentes , Venetias adcerfuntur ; adjectus quoque Petrus Paulus Rutilius , diplomatis , ut ajunt , advocatus , qui postea in eodem Gymnasio jus Canonicum est interpretatus .

Senatus
responsum.

Eorum prius exquisitis sententiis , quo quid jure praescriberetur , cognito , commodius consuli posset ; mox Senatus consulto responsum . Qua decet , reverentia atque observantia Gregorii literas acceptas fuisse , quibus hortabatur , ut , quae Aquilejensi Antistiti erepta jura diceret , restituerentur ; si qua Senatus pro se haberet , adduceret , termino elapso , sententiam laturum . Eas literas immerenti Reipublicae ingentem molestiam attulisse , quippe quae dignitatis sanctissimae illius Sedis , atque adeo ipsius Gregorii studiosissima , neque minus in Aquilejensis ecclesiae juribus tuendis sollicita semper extitisset , a qua Grimani Antistes summis officiis publicae benignitatis & gratiae excultus fuerat : ne minima quidem in re rationibus illius detractum ; sua tantum sarta tectaque conservare Senatum enixum , publici obsequii argumenta Pontifici cumulate praestitisse . Dolorem vero eo augeri , quod ejus causae judicium , adversus ea , quae saepius summa adseveratione affirmaverat , trahere ad se vellet ; in id Senatum nunquam consensurum : obnixi propterea Gregorium rogare , ut tandem acquiesceret , iisque contentus esset , quae in ejus gratiam facere Senatus voluisset , quem sane , majorum vestigiis insistentem , Apostolicae Sedis observantissimum , Divini cultus studiosissimum , in defendenda ac propaganda religione flagrantissi-